Universitätsbibliothek Paderborn

Matthaei Tympii Aureum Specvlvm Principvm, Consiliariorvm Ivdicvm, Consvlvm, Senatorvm, Et Aliorvm Magistratvvm Cvm Ecclesiasticorum tum Politicorum omnium

Tympe, Matthäus

Coloniae Agrippinae, 1617

16 Magistratu communi certo tempore abire.

urn:nbn:de:hbz:466:1-52641

Visual Library

rendo, ſibi cuncta ſubijceret. *Vide etiam Annal. Taciti lib. 2. & Caſ. Baron. Tom. 1.*

SIGNVM XVI.

Magiſtratũ libenter deponere.

MAGISTRATV COMMVNI CERto tempore haud grauatè abire.

COmmunem Magiſtratum ita verti exoptant Philoſophi, vt ſtatis temporibus hi munus ineant, alij deponant; hi inaugurentur, alij abdicent, ſeu faſces ſui imperij abijciant.

1. Vt ciues ſtimulis honoris ad virtutis ſtudium alacrius incitentur. Nam Deus in libera ciuitate premiũ virtutis quaſi in ſtadio palmam omnibus propoſuit, cuius ſpe ſublata, quis curret? quis laborabit? Certè vt honos artes, ita ſpes dignitatis ciues ſtudioſos alit, qui acceſſum ad Remp. quotidie ſuis factis quærunt & demerentur.

Spes ciuium præmium virtutis, & honoris participatio.

2. Vt ciues conſilij & Magiſtratus pro merito virtutis participes fiant. Hinc Romani à rastro ad Senatum, à ceſpite ad ſolium dignitatis plurimos euehere & promouere ſolebant. 3. quia iuſtitia ideo lances Reip. tenet, vt dignitates cunctas vni perpetuas, ſed ſingulis promeritas distribuat, ac partiatur: quod certè fieri non poteſt, ſi omnes Magiſtratus perpetui creentur. Fieri non poteſt ſine ciuium iniuria, vnus vt ſemper ſedeat ad gubernacula, alij ſentinam exhauriant. Quod ergo ille de militibus in bello, id hi de Magiſtratibus in pace dicunt.

Ariſt. 2. Pol. c. 1.

Magiſtratus ambulatorij.

Succedant, ſeruentq́ vices.

Cauendum tamen præcipiunt in iſta viciſſitudine, vt ſaturis famelici, (in aurea meſſe canentis,) expertis rudes, & imperiti; iuſtis, & iniuſtibus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ibus viris carnifices, & ſutores non ſurrogentur. Regij autem Magiſtratus æternitatem commendant, ne fiat ſeditio, & ne noui culices, acrius mordētes, ad cadauera oppreſſorum ciuium aduolent; ſeu, ne alij rapaces vultures, diffidentes tempori, temporis quaſi falce ciues iam laborantes vulnerent.

Tiberius Cæſar cùm ab amicis interrogaretur, cur non tam facile Magiſtratus & Præfecturas ſuas mutaret? reſpondit, ſe data hoc opera ſemper feciſſe. Natura enim omnes, qui adminiſtrationi rerum præſint, pecuniæ eſſe cupidos, plurimumq; ſtudij ad rem magis magiſq; augendam nos collocare. Cæterùm, ſi diutius in Magiſtratu verſentur, ſegniores ad quæſtum faciendum fieri. Muſcas enim ſi diutius corporum vlceribus inſideant, minus graues & moleſtas fieri; quippe iam vlcerum ad ſatietatem vſque refertas: & eum, qui vlceribus ſcateat, durius acceptum afflictumque iri, ſi ſaturis iam repulſis, famelicas alias ad vulnera admittere velit. *Niceph. li.1.c.17.*

SIGNVM XVII.

MAGNANIMVM ESSE.

Magnanimum eſſe.

Magnam fortunam magnus decet animus, qui iniurias ſuperet deſpiciendo, & ſpernendo, (*Seneca 1. de Clem.*) famam tamen non contemnendo. (*Tac. 4. Annal.*) *Vide de Fortitud.*

Sic *Antigonus Maced. Rex*, cùm ad Regiam dignitatē recens aſcēdiſſet, idq; grauatè ferret, ſtomachareturq; populus, ipſe virtute & conſcientia fretus, in populi cōſpectu diadema ſceptrūq; poſuit, atq; palàm monuit, vt ſi aliū quempiam ſe

Regno

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN